An. et vol. XXXXI 16 Augusti 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 337 - Litterae Apostolicae, p. 349 - Epistulae, p. 356 - Allocutiones, p. 360.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 372 - *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Decretum, p. 373 - *S. C. Concilii*: Decretum, p. 374.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine - Necrologio, pp. 375-384.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 seu $ 4
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 seu $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur »* (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 9 - 16 Augusti 1949)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. Indulgentiae et facultates suspenduntur vertente anno generalis maximique Iubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo. - 10 Iulii 1949 . . 337

II. Paenitentiariis aliisque in Urbe confessariis extraordinariae conceduntur facultates anno vertente generalis maximique Iubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo. - 10 Iulii 1949 340

III. Indulgentiae Anni Sancti MDCCCCL conceduntur monialibus aliisque stabili impedimento detentis cum opportunis facultatibus circa absolutiones et votorum commutationes. - 10 Iulii 1949 345

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Exstat.* - Sancta Adelaides, imperatrix, vidua, praecipua Patrona caelestis declaratur oppidi « Seltz » in Argentoratensi dioecesi. - 27 Februarii 1948 349

II. *Praeclara.* - Ecclesia cathedralis Jaciensis, Deo in honorem B. Mariae Virginis Annuntiatae dicata, Basilicis minoribus accensetur. - 27 Novembris 1948 350

III. *Quandoquidem.* - Ecclesia Abbatialis S. Mauritii Agaunensis, nullius dioeceseos, in Helvetia, Basilicis minoribus accensetur. - 30 Novembris 1948 352

IV. *Catholici Orbis.* - Ecclesia paroecialis S. Mariae Virginis, in civitate « Igualada » intra fines Vicensis dioecesis, Basilicae minoris titulo et privilegiis cohonestatur. - 18 Ianuarii 1949 355

EPISTULAE

I. *Ab ipsis Ecclesiae.* - Ad Exc̃mum P. D. Ioannem Perelló Pou, Episcopum Vicensem: primo expleto saeculo ab obitu apologetae Iacobi Balmes. - 8 Maii 1949 356

II. *Cum proxime.* - Ad Revm̃um P. Herbertum Kramer, Sodalitatis Missionalium a Pretiosissimo Sanguine Moderatorem Generalem: saeculo exeunte ab exstensione celebrationis festi Pretiosissimi Iesu Christi Sanguinis ad universam Ecclesiam. - 10 Maii 1949 358

III. *Quum proxime.* - Ad Revm̃um P. Gulielmum Munster, Londiniensis Sodalitatis a Philippiano Oratorio Praepositum: primo saeculo exeunte ab eodem Oratorio condito. - 26 Maii 1949 359

ALLOCUTIONES

I. Summus Pontifex illustrat notas praecipuas sanctitatis Mariae Iosephae Rossello, adstantibus christifidelibus, qui Romam convenerant ad eius canonizationem celebrandam. - 14 Iunii 1949 360

II. Ad novum Legatum Reipublicae Dominicianae. - 20 Iunii 1949 . . . 365

III. Ad novum Legatum Indiarum. - 6 Iulii 1949 367

IV. Ad novum Legatum Reipublicae Paraguayanae. - 12 Iulii 1949 . . . 369

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 372

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Decretum. Circa facultates de Missis moderandis. - 30 Iunii 1949 373

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Decretum. Circa facultates de Missis moderandis. - 30 Iunii 1949 374

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Udienze solenni 375

Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . . 375

Segreteria di Stato: *Nomine* 377

Necrologio 384

An. et vol. XXXXI 16 Augusti 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

INDULGENTIAE ET FACULTATES SUSPENDUNTUR VERTENTE ANNO GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI MILLESIMO NONGENTESIMO QUINQUAGESIMO.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Fore confidimus ut proximum Iubilaeum maximum, quod haud ita pridem indiximus, cum singulis christifidelibus, tum humanae societati fructus afferat uberrimos. Nobis enim dabitur — ut in optatis est — ingentes christianorum multitudines cernere, quae Romam undique gentium confluent, ut principem Catholicae Ecclesiae Sedem ac Iesu Christi Vicarium revereantur, ut praeclara religionis monumenta pie invisentes suam fidem alant ac refoveant, ut denique sua admissa expient et ad virtutem optimosque redintegrandos mores una simul exardescant.

Ac futurum quoque speramus ut mirandum hoc fraternae unitatis caritatisque spectaculum — dum odium haud paucos homines miserandum in modum disiungit atque exagitat — facere non possit quin eos etiam, qui catholico non censentur nomine, salutariter percellat atque commoveat.

Ut autem quam plurimi, divinae gratiae munera impetraturi, ad almam hanc Urbem per anni sacri decursum conveniant, quod Decessor Noster Sixtus IV anno MCCCCLXXIII decrevit, id ipsum Nos per

has Litteras statuere censemus, prudenti tamen temperatione modoque adhibito, quemadmodum infra indicaturi sumus: hoc est promulgata atque ad rem deducta Iubilaei indulgentia, iam ceteras omnes poenarum relaxationes, aut concessas, aut concedendas, itemque facultates cuivis factas, extra Urbem, Apostolicae Sedis nomine atque auctoritate dispensandi absolvendique in utroque foro, per piacularem annum conquiescere atque intermitti iubemus.

Itaque, auctoritate Nostra apostolica, usitatas pro vivis indulgentias, ut decessores Nostri simili in causa decreverunt, sic Nosmet per totum Anni Sancti decursum ubique — in Ecclesia etiam Orientali — intermitti suspendique decernimus; itemque facultates Nostro nomine extra Urbem exercendas intermittimus atque suspendimus, iis tamen in utraque re exceptis, quas mox enumeraturi sumus.

Etenim ex indulgentiis, quae pro vivis concessae sunt, has, quae sequuntur, integras atque immutatas permanere volumus:

I. Indulgentias *in articulo mortis* lucrandas.

II. Eam, qua frui omnibus licet, qui cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum sub vesperam, vel cum primum postea potuerint, precationem « Angelus Domini », vel, pro temporis ratione « Regina caeli », vel, si neutrum fieri potest, quinquies *Salutationem Angelicam* « Ave Maria » recitaverint.

III. Indulgentias iis tributas qui pie templa inviserint, ubi Sacramentum augustum *quadraginta horarum* spatio adorandum proponitur.

IV. Indulgentias, quas eos lucrari decretum est, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, comitentur, aut facem vel cereum per alios ferendum ea occasione mittant.

V. Indulgentiam, toties quoties lucrandam, iis concessam, qui sacellum Portiunculae in templo S. Mariae Angelorum, prope Asisium, pietatis causa, adierint.

VI. Indulgentias iis concessas, qui precem recitaverint a Nobismet ipsis compositam pro Anno Sancto MDCCCCL.

VII. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii, vel Internuntii, ac Delegati Apostolici, itemque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates vel Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent.

Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas, aut ab aliis quoquo pacto concessas concedendasque ex facultate iure ipso vel peculiari indulto sibi facta, decernimus, per totum Annum Sanctum, nusquam terrarum vivis prodesse,

sed tantummodo vita functis. Praesentium interea auctoritate Litterarum praecipimus ac mandamus, ut, praeter indulgentias Iubilaei easque, quas superius singillatim excepimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub paena excommunicationis ipso facto incurrendae aliisque paenis arbitrio Ordinariorum infligendis, quomodocumque publicentur.

Ad illud idem propositum, ad quod indulgentiarum intermissio spectat, facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi praeterea ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessa, extra Urbem eiusque suburbium, per Iubilaei Maximi decursum, suspendimus nullique suffragari volumus.

Haec tamen per exceptionem decernimus:

I. Ratae sint facultates omnes per Codicem iuris canonici quovis modo concessae.

II. Ratae item firmaeque sunto facultates pro foro externo ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factae, tum Ordinariis locorum, Antistitibus religiosorum Ordinum atque Superioribus Religiosarum Congregationum maioribus quoquo modo in subditos suos tributae.

III. Quas denique facultates S. Paenitentiaria Nostra impertire solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, easdem ne extra Urbem quidem suspendimus, sed ita ut erga eos dumtaxat paenitentes exerceantur, qui, quo tempore confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, declarationis, voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

II

PAENITENTIARIIS ALIISQUE IN URBE CONFESSARIIS EXSTRAORDINARIAE CONCEDUNTUR FACULTATES ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI MILLESIMO NONGENTESIMO QUINQUAGESIMO.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, cupimus per proximum piacularem annum iis etiam ad frugem bonam ad christianamque virtutem reditum faciliorem reddere, qui gravioribus criminibus impliciti, longe a Divini Redemptoris amplexu aberrent. Id facientes, novimus Nos Iesu Christi partes agere, qui ut amantissimus pastor nihil magis exoptat, quam oves amissas vulnereque sauciatas ad gregem reducere, earumque plagas, opportunis adhibitis remediis, curare suaviterque lenire. Quapropter valde opportunum ducimus per anni sacri decursum confessariorum in Urbe amplificare atque augere potestatem.

Itaque motu proprio, certa scientia ac de apostolicae plenitudine potestatis, ea quae sequuntur de confessariis in Urbe et suburbio, anno Iubilaei vertente, deputandis, deque extraordinaria potestate iisdem attribuenda, praescribimus ac statuimus.

Dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiori committimus ac demandamus, ut, praeter eos, qui nunc sunt, quattuor Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, Ostiensis et Liberianae paenitentiarios minores ordinarios atque extraordinarios, tam in memoratis quattuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive saecularium sive regularium ac praesertim in variarum nationum per Urbem ecclesiis, novos similiter paenitentiarios ad totum Annum Sanctum deputet et abunde multiplicet.

Quibus paenitentiariis minoribus, sive ordinariis sive extraordinariis, sive iam exsistentibus sive a dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiore, ut supra, deligendis, concedimus, ut per Annum Sanctum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tantum, absolvere quoslibet paenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine lata. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur.

At hisce amplissimis facultatibus non utantur nisi normis exceptionibusque servatis, quae sequuntur:

I. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter illos, qui in censuram inciderint, de qua in can. 2388, § 1, Sanctae Sedi reservatam ad normam Decreti « Lex sacri coelibatus » per Sacram Paenitentiariam Apostolicam editi d. XVIII mensis Aprilis, a. MDCCCCXXXVI (cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XXVIII, p. 242), itemque ad normam Declarationis ab eadem Sacra Paenitentiaria datae d. IV mensis Maii, a. MDCCCCXXXVII (cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XXIX, p. 283); vi cuius Decreti et Declarationis haec censura in casu speciali, de quo agitur, ita Sacrae Paenitentiariae reservatur, ut nemo umquam, excepto periculo mortis, ab ea absolvere possit, ne vi quidem can. 2254.

II. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam publice inciderint.

III. Haereticos vel schismaticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, iam reparaverint, aut promiserint sese, ut par est, efficaciter reparaturos. Ad natos in haeresi quod attinet, si dubitetur de facto vel validitate baptismi in secta collati, eiusmodi acatholici, ante absolutionem, ad dilectum filium Nostrum Cardinalem in Urbe Vicarium remittantur.

Ne absolvant praeterea eos, qui in rerum adiunctis versantur, de quibus agitur in Decreto Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, d. I mensis Iulii a. MDCCCCXXXXIX edito, de communismo (Cfr. *Acta Apost. Sedis,* vol. XXXXI, p. 334), nisi sincere et efficaciter resipuerint.

IV. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336 § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eandem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem — idque iustis gravibusque de causis — per se ipsi destruxerint; sin minus, ipsimet sincero animo spoponderint se memoratas condicio-

nes esse, quamprimum potuerint, adimpleturos; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione.

V. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum ab Ordinario vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi; nisi de locis agatur, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

VI. Possint iidem paenitentiarii omnia et singula vota *privata*, etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, commutare in alia pia opera, ex iusta causa. Votum autem castitatis perfectae et perpetuae, quamvis ab origine publice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam sollemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi de causa, in alia pia opera commutare. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave paenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

VII. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate, de qua in can 985, 4°; sed ad hoc unice, ut paenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat.

VIII. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non ad contrahendum.

IX. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque paenitentia.

X. Ad visitationes quod attinet quatuor Basilicarum, paenitentiarii, pro singulis qui, iusta de causa, eas praescripta ratione perficere nequeant, facultatem habent cum concedendi dispensationem visitationis alicuius Basilicae, eam commutando — si fieri potest — in visitationem alius ecclesiae, tum etiam visitationum numerum contrahendi.

Cum singulis autem, qui, morbo aliove legitimo impedimento detenti, memoratas Basilicas invisere nequeant, praescriptas visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, dispensando commutent. Paenitentiarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Nostram fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas etiam imminuere.

XI. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant, ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat.

XII. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus autem, Iubilaei causa, eam sufficere, quae per modum viatici ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur. Qui tamen paschale praeceptum misere neglexerit, possit is deinde una Communione utrique obligationi satisfacere.

XIII. Hisce omnibus, quas memoravimus, facultatibus volumus uti non modo paenitentiarios, de quibus in harum Litterarum exordio diximus, sed etiam S. Paenitentiariae Praelatos: itemque eiusdem S. Paenitentiariae Officiales omnes qui sint in Urbe ad audiendas fidelium confessiones habitualiter adprobati; singulos Urbis suburbiique parochos; rectores et confessarios, a Vicariatu adprobatos, ecclesiarum nationalium, praetereaque nonnullos confessarios pro praecipuis celebrioribusque Urbis templis designandos, quorum omnium sedi confessionali tabella affigatur in qua verba inscripta sint PAENITENTIARIUS SANCTI IUBILAEI. Praeterea ut religiosorum virorum utilitati uberius consulamus, easdem facultates tribuimus, pro Ordinibus Congregationibusque exemptis, aliquibus ex iis confessariis, quos Superiores pro subditis tantum adprobaverint ad formam can. 518 et secundum extensionem in can. 514 § 1 descriptam; Superioris quidem erit, in unaquaque domo unum alterumve in individuo deputare: qui tamen ex hac sola deputatione non poterunt facultatibus, de quibus supra, uti erga fideles domui ac Religioni extraneos.

XIV. Paenitentiarii, ut supra deputati, sciant posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur.

Facultatibus tamen absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitate cum eodem paenitente uti nequeant nisi semel tantum, cum ipse Iubilaei veniam primum lucretur.

Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. X — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

XV. Uti iisdem facultatibus poterunt etiam extra ecclesiam cui addicti sunt, si quando contingat eos alibi confessiones excipere, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum. Caveant tamen — in quo graviter eorum conscientiam oneramus — ne ecclesiam propriam neglegant, ut aliis inserviant.

Cum autem, ad maiora animarum lucra anno isto salutaris expiationis comparanda, intersit operarios multiplicari, omnibus quoque confessariis adprobatis ad annum a Venerabili Fratre Nostro Cardinali Vicario in spiritualibus generali, itemque reliquis omnibus confessariis regularibus exemptis, quos Superior tantummodo suus pro sodalibus Religionis omnibusque extraneis in religiosa domo diem noctemque commorantibus adprobaverit — intra fines tamen temporis, loci ac personarum in concessione adprobationis designatos — has, quae sequuntur, tribuimus extraordinarias facultates:

1. Absolvere possint, per se ipsi tantum et in foro dumtaxat conscientiae et sacramentali, eos, qui apud ipsos confiteantur, a quibusvis peccatis et censuris, etiam speciali modo a iure Sanctae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, dummodo censurae publicae non sint, iniunctis tamen salutaribus paenitentiis aliisque de iure iniungendis, servatisque potissimum in hac absolutione impertienda normis atque exceptionibus, quae supra, sub nn. I-V, pro paenitentiariis minoribus praescriptae sunt.

2. Omnia et singula vota privata, etiam iurata, dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, commutando in alia pia opera, ex iusta causa, exceptis iis privatis votis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur, itemque exceptis votis publice emissis in susceptione Ordinis sacri aut in professione religiosa tam sollemni quam simplici, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. Dispensare possint ab irregularitate eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. VII.

4. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, circa visitationes quatuor Basilicarum easque item commutare eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. X.

5. Si quas autem facultates ab Apostolica Sede per S. Paenitentiariam aut alio legitimo modo impetraverint aut per Annum Sanctum impetrabunt, eae firmae atque immutatae sunto.

6. De usu facultatum, quas supra sub nn. 1-4 concessimus, ea valeant ac serventur, quae pro paenitentiariis minoribus sub n. XIV constituimus.

Nihil reliquum est, nisi ut paenitentiarios et confessarios, quibus extraordinarias facultates istas de Apostolica benignitate largiti sumus, vehementer moneamus ut patienti animo caritatisque pleno eos omnes excipiant, qui Domino reconciliari cupiant et caelestibus frui thesauris, quos Sancta Mater Ecclesia per totum Iubilaei annum cuivis reserat.

Praesentes autem Litteras volumus firmas exsistere et fore, earumque exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem adhiberi fidem, quae hisce Litteris adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis, declarationis et voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

III

INDULGENTIAE ANNI SANCTI MDCCCCL CONCEDUNTUR MONIALIBUS ALIISQUE STABILI IMPEDIMENTO DETENTIS CUM OPPORTUNIS FACULTATIBUS CIRCA ABSOLUTIONES ET VOTORUM COMMUTATIONES.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Iam promulgato maximo generalique Iubilaeo, quod qui ad almam hanc Urbem convenerint participare poterunt, paternus animus Noster ad eos se convertit, qui, gravi praepediti impedimento, prohibentur quominus Romanam suscipiant peregrinationem. Hi sunt non modo qui vitam contemplationi deditam in claustralibus saeptis traducunt,

sed qui etiam ob senilem aetatem, vel infirmam valetudinem itineris incommoda tolerare non possunt; qui in exsilio, in captivitate, in publica custodia detenti, vel alia de causa, adveniendi libertate non fruuntur; qui denique tam misera anguntur sorte, ut necessarias impensas facere non valeant.

His etiam cupimus ut facultas ne desit caelestibus utendi largitionibus, quae per proximum piacularem annum assequendae proponuntur; ita quidem ut christianorum omnium communitati uberiores pateant impertiendae divinae gratiae latices. Ac futurum confidimus ut eorum preces, qui ex suscepto vitae instituto virginalem innocentiam colunt, eorumque piacula expiationesque, qui in aerumnosis miserisque versantur condicionibus, non modo sibi, sed Ecclesiae etiam, universaeque hominum societati a misericordissimo Deo feliciora tempora impetrent.

Huius vero concessionis Nostrae hi dumtaxat, qui sequuntur, participes sunto:

I. In primis Moniales omnes, quae in coenobiis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quae in iisdem monasteriis aut probandae et postulantes sunt aut tirocinium exercent aut educationis aliave legitima de causa, etsi per maiorem tantummodo anni partem, commorantur. Neque excipi volumus mulieres earum contubernales, quae famulatus vel stipis colligendae gratia, saepta religiosa egrediuntur.

II. Omnes religiosae Sorores, scilicet votorum simplicium, quae ad Congregationem pertineant iuris sive pontificii sive dioecesani, quamquam severiore claustri lege non adstringuntur, una cum suis novitiis, probandis, atque educandis puellis — semi-convitricibus quoque, ut aiunt, non tamen externis —, aliisque communi cum ipsis mensa utentibus, domicilio vel quasi domicilio.

III. Pariter Oblatae, seu piae feminae, vitae societate coniunctae, etiamsi vota non emittant, quarum tamen Instituta ab ecclesiastica auctoritate vel ratione stabili vel ad experimentum probata sint, una cum suis novitiis, probandis, puellis educandis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, ut de Congregationibus religiosis n. II diximus.

IV. Omnes feminae ad quemvis Tertium Ordinem Regularem pertinentes, quae sub uno eodemque tecto, cum approbatione ecclesiastica, communiter vivunt, itemque, ut supra, omnes earum contubernales.

V. Puellae et mulieres in gynaeceis seu Conservatoriis degentes, quamvis non sint Monialibus, Sororibus religiosis, Oblatis Tertiariisve concreditae.

VI. Anachoretae et Eremitae, non ii quidem, qui nullis adstricti clausurae legibus vel communiter vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus obtemperantes vivunt; sed ii, qui in continua — licet non omnino perpetua — clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt et monasticum aut regularem Ordinem profitentur, ut Cistercienses Reformati B. M. V. de Trappa, Eremitae Camaldulenses et Carthusiani.

VII. Christifideles utriusque sexus, qui captivi in hostium potestate versantur, aut in carcere custodiuntur, aut exsilii paenas deportationisve luunt, aut apud paenales domos ad opus damnati reperiuntur, aut denique in correctionis domibus versantur; itemque ecclesiastici vel religiosi viri, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis gratia, detinentur.

VIII. Christifideles utriusque sexus, qui in illis Nationibus commorantur, in quibus ob peculiaria rerum adiuncta non licet Romanam suscipere peregrinationem.

IX. Christifideles utriusque sexus, qui morbo vel imbecilla valetudine prohibentur, quominus, intra Iubilaei annum, aut Urbem adeant aut in Urbe praescriptas Patriarchalium Basilicarum visitationes instituant, qui in nosocomiis, conducti vel sponte ipsi sua, aegrotantibus, continuatâ operâ, adsunt; qui corrigendorum emendationi ac regimini praeponuntur; itemque operarii, qui, cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot horas abstinere; senes denique, qui septuagesimum aetatis suae annum excesserint.

Hos omnes et singulos monemus hortamurque ut admissa cuiusque sua dolenti animo perscrutantes, eadem per Paenitentiae Sacramentum eluant ac renovato spiritu ad perfectioris vitae institutum citatiore gradu contendant; mox Angelorum Pane ea, qua decet, pietate reficiantur, indeque vires sumant ad proposita sancte suscepta religiosissime exsequenda; denique ad mentem Nostram — hoc est pro Ecclesiae Catholicae incremento, pro extirpandis erroribus, pro Principum concordia totiusque humanae consortionis tranquillitate et pace — orare ne praetermittant.

Visitationi autem quatuor Urbis Basilicarum alia religionis, pietatis caritatisque opera iidem sufficiant, quae Ordinarius per se ipse vel per prudentes confessarios, pro condicione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus, iniunxerit.

Itaque omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere paenitentibus et intra Annum Sanctum rite confessis

ac sacra synaxi refectis, Deumque, ut supra diximus, ad mentem Nostram orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus si morbus periculosus oppresserit, plenissimam totius paenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam, rite tamen obtenta per Paenitentiae Sacramentum remissione ac venia, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus explevissent, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus; quam quidem indulgentiam toties intra Anni Sancti decursum lucrari possunt, quoties iniuncta opera iteraverint.

Porro liceat unicuique eorum, quos supra memoravimus, sibi confessarium eligere a suo Ordinario ad praescripta Codicis approbatum, cui, vi praesentis Constitutionis, pro confessione dumtaxat ad lucrandum Iubilaeum instituta, concedimus, ut, sine detrimento earum facultatum, quas forte alio titulo exercere possit, personas supra dictas in foro sacramentali tantum absolvere queat a quibusvis censuris et peccatis etiam speciali modo a iure Apostolicae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, impositis salutari paenitentia aliisque secundum canonicas sanctiones rectaeque dsciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessario, quem monialis sibi elegerit, potestatem facimus dispensandi a votis privatis quibuslibet, quae ea ipsa post professionem sollemnem nuncupaverit quaeque regulari observantiae minime adversentur. Confessarios autem supra memoratos volumus quoque commutare posse omnia vota privata, etiam iurata, quibus Sorores in Congregatione votorum simplicium, Oblatae, Tertiariae regulares, puellae et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerint, iis votis exceptis quae Apostolicae Sedi reservata sint, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

Hortamur autem venerabiles fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, ad apostolicae Nostrae benignitatis exemplum, eligendis ad praesentium effectum confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ab ipsis Ordinaris reservati sint.

Harum interea decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuslibet. Voulumus denique ut harum Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiatica dignitate constituti munitis, eadem prorsus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decima mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SANCTA ADELAIDES, IMPERATRIX, VIDUA, PRAECIPUA PATRONA CAELESTIS DECLARATUR OPPIDI « SELTZ » IN ARGENTORATENSI DIOECESI.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat, intra Argentoratensis dioeceseos fines, civitas « Seltz » vulgo nuncupata, parva quidem, sed inclyta, tum quia antiquitate pollet, tum quia celebre cuiusdam Dei Famulae sepulchrum longo temporis spatio custodivit, serius a novatoribus haereticis, una cum exuviis, penitus eversum. Multa enim per saecula ipsius parvae civitatis cives maxima veenratione coluerunt sacrum Corpus Sanctae Adelaidis Imperatricis, quae, per aerumnas multas multasque calamitates fortiter sancteque toleratas, ad sanctitatis apicem pervenit et in pago « Seltz » pie e vita discessit. Uti Sancta exinde ab incolis habita fuit nec non uti apud Deum Patrona sponte venerata, haud parvo fidelium omnium spirituali bono. Percrebrescente autem in dies erga memoratam Dei Famulam Adelaidem eorum devotione, potissimeque cum novissimo furente bello, Illius Simulacrum inter maximas Ecclesiae Sancti Stephani, in qua asservabatur, ruinas, unum illaesum evaserit, Parochus universusque Clerus nec non populus enixas adhibuerunt Nobis preces, Venerabilis Fratris Ioannis Iuliani Weber, Argentoratensis Episcopi, commendatione suffultas, ut ratum confirmatumque habeamus antiquissimum super praedictam civitatem Sanctae Adelaidis Patronatum. Nos vero, ne tam fulgida Fides remuneratione careat, huiusmodi votis precibusque annuendum libenti animo censuimus. Audito igitur Dilecto Filio Nostro Clemente Sanctae

Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Sanctam Adelaidem Imperatricem, Viduam, civitatis vulgo « Seltz », intra Argentoratensis dioeceseos fines positae, ubi e vita pie discessit et a Christifidelibus maxima cum devotione colitur, *Primam ac Praecipuam Patronam Caelestem*, omnibus ac singulis liturgicis privilegiis adiectis, quae principalibus locorum Patronis competunt, confirmamus, constituimus ac declaramus. Praecipimus insuper ut eiusdem Sanctae festum quotannis die decima mensis Decembris, sub ritu duplici primae classis cum octava communi, celebretur. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Februarii, anno MCMXXXXVIII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

II

ECCLESIA CATHEDRALIS JACIENSIS, DEO IN HONOREM B. MARIAE VIRGINIS ANNUNTIATAE DICATA, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Praeclara templa Dei, quae, sive antiquitate et artis operibus, sive fidelium celebratione et religione ceteris excellant, de more institutoque Romanorum Pontificum, singularibus privilegiis non minus quam honoris titulis propensa voluntate decorare solemus. Haec inter optimo iure sacra illa aedes recensenda videtur quae anno MDXLIV penitus absoluta est eodem loco ubi iam exsti-

terat aedicula quaedam, in veteri Siciliae oppido, cui, ex proximo flumine, nomen inditum « Aci » ac, temporis decursu, appellationes adiectae sunt « Aquilea » seu « Aquilia », ex consule Romano Aquilio, et serius « regalis », unde italicum nomen « Acireale », de curia vero Iaca Regalis. Templum ipsum, saepius magnis laesum terrae motibus, plurima pertulit ac gravissima damna cum anno MDCXCIII tota Sicilia ingenti concussu mota est, permulta penitus disiecta sunt oppida, civiumque multitudo perempta. Memorata sacra aedes, Deo, in honorem Beatae Virginis Mariae ab Angelo Annuntiatae, dicata, et ipsa collapsa est, at, inter ruinas, sacellum tantum Sanctae Venerae, Christi Martyris et Iaciensis civis, superfuit, ita ut Iacienses suorum ipsorum et urbis incolumitatem Sanctae Martyris popularis intercessioni apud Dominum tribuendam esse minime dubitaverint. Unde factum est ut eidem Sanctae opus auro intextum et litteris exornatum, grati animi sui testimonium, dono dederint. Nec defuit postea civium omnium constans voluntas navaque opera ad praedictum templum instaurandum maximoque ditandum splendore, ita ut anno MDCCXCVIII plurimis artis operibus, curantibus praesertim variis praeclaris artificibus, qui Patres a Studio vocabantur, apparuerit perfectum, Iaciensium fidei conspicuum et perenne monumentum. Nil mirum proinde si cum Decessor Noster fel. rec. Gregorius XVI, anno MDCCCXLIV, novam dioecesim Iaciensem erexit, memoratam ecclesiam, iam paroecialem et collegiatam, Litteris Apostolicis *sub plumbo* quinto Kalendas Iulias datis, « bene exstructam, satis amplam et sacra supellectili dotatam » dixerit, atque propterea dignam quae ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem extolleretur eam iudicaverit. Cum autem hic annus centesimus sit et quinquagesimus ex quo praefatum templum penitus instauratum et decoratum fuit, Ven. Frater Salvator Russo, hodiernus Iaciensium Episcopus, Cleri et populi sui vota expromens, Nos enixe rogavit ut ad fausti anniversarii celebrationem sollemniorem reddendam et laetiorem, iungentes quodammodo Nosmetipsos dioecesi Iaciensi universae in debitis gratiis pro acceptis beneficiis Deo Optimo Maximo, eiusque Beatissimae Genetrici ab Angelo Salutatae necnon invictae Ieromartyri Venerae tribuendis, Cathedralem quam diximus Ecclesiam novo honore augeamus. Quibus precibus, a Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, Nobis relatis benigne annuere volentes, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem, Deo in honorem Beatissimae Mariae Virginis Annuntiatae dicatam, in civitate at-

que dioecesi Iaciensi, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privilegiis quae eidem titulo conveniunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; et plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iuicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum, ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Novembris, anno MCMXLVIII, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

III

ECCLESIA ABBATIALIS S. MAURITII AGAUNENSIS, NULLIUS DIOECESEOS, IN HELVETIA, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quandoquidem, ut ait Aurelius Prudentius, « electus Chisto locus est, ubi corda probata provehat ad caelum sanguine », ipsa tellus Martyrum cruore irrigata sacrasve eorum exuvias contegens, non solum Christicolas effundere consuevit uberrimo fetu, sed et augusta templa, omni artificio perfecta, et monasteria, tamquam sanctimoniae ac litterarum umbracula commendata, et interdum, quae antea erat vacua cultoribus, vel nova oppida singulari quadam fecunditate quasi fingere et procreare. Talis profecto habendus est locus quem « Agaunum » dicunt, olim campus in angustiis vallis Rhodani, in finibus Helvetiorum, ubi Sanctus Mauritius eiusque sodales e Legione quam Sanctus Eucherius, Lugdunensis Episcopus, « Thebaeam » appellat, atque ut « felicem Agaunensem » Venantius Fortunatus carmine celebrat, pro Christo Martyres occubuerunt, quorum corpora haud procul inde sepulta sunt summaque coepta honorari religione atque observantia. Etenim Sanctus Theodorus, Episcopus Octodurensis, sacris eorum ossibus inventis, saeculo IV vertente, oratorium ibi exstruxit contiguumque

diversorium; Sanctus autem Sigismundus, Burgundorum Rex, saeculo VI ineunte, Ecclesiam amplam Romanoque cultu insignem aedificavit, quae quidem inter temporum ac rerum vicissitudines pluries direpta, vastata aut funditus eversa, toties invicta pietate reparata est in melius ac restituta. Qua in re commemorandum est insigne Templum, utrimque in absida curvatum, quod Williharius abbas saeculo VIII a fundamentis excitavit. Hanc vero Agaunensem Aedem non solum fidelium turmae supplices adibant solentque adire, sed et Summi Pontifices, Imperatores, Reges, Purpurati Patres, Episcopi venerabundi invisebant. Iuvat proinde memorare Beatum Eugenium Pp. III, Decessorem Nostrum, Ecclesiam illam, incendio absumptam affabreque instauratam, die XXV mensis Maii anno MCXXXXVIII, sollemni ritu consecrasse. Itaque hoc Sancti Mauritii Templum inter vetustissima loca sacra in regionibus transalpinis ac velut caput unde Fides Christiana in Helvetios ocidentales promanavit, colendum est honore debito. Ea ipsa Ecclesia, cum ruina montis, qui Agauno impendet, anno MCMXXXXII, diruta sit ex parte, ingenti sumptu et molitione, uti accepimus, nunc reficitur novoque splendore illustratur, aula admodum producta, pluribus altaribus collocatis additisque sacrario Martyrum Agaunensium atque thesauro, in quo inter cetera praeclara ac pretiosa tuto asservantur Spina coronae qua redimitus est Salvator, aureum vas, encausto ornatum, quod Carolus Magnus Imperator dono dedisse traditur, atque duae arcae argenteae gemmisque decoratae, in quibus Reliquiae Sancti Mauritii et Sancti Sigismundi olim sunt depositae. Ad hanc praeterea Ecclesiam, antea « collegialem », vitam « regularem » ab antiquissimis temporibus ad nostram usque aetatem raro perpetuitatis exemplo cernimus servari. Religiosi enim viri quasi excubiae Sanctorum Martyrum iam ad sacellum, a Sancto Theodoro conditum, degebant; abbatia autem monachorum, munificentia Sancti Sigismundi magnopere locupletata, anno DXV est constituta, cuius primus Moderator Hymnemodus admirabilem illum morem, per plura saecula continuatum, invexit, quo chori frequentes Dei ac Sanctorum laudes alternis vicibus diu noctuque sine intermissione concinerent, unde et « Laus perennis » consuevit appellari; quem pium psallendi modum Sanctus Avitus, Viennensis Episcopus, sacro sermone Agauni habito est auspicatus. Canonicis in locum monachorum saeculo IX substitutis, idem coenobium, iniquitate temporum nonnihil collapsum, Sancto Hugone et Amedeo III Sabaudiae Comite auctoribus, anno MCXXVIII creditum est Canonicis Regularibus Sancti Augustini, qui inclytam hanc Agaunensem Ecclesiam ad pristinum florem revocarunt et adhuc sedulo custodiunt. Quibus omnibus mature perpensis, Venerabilis Frater Ludovicus Seve-

rinus Haller, Bethleemitanus titularis Episcopus atque Sancti Mauritii Agaunensis Abbas Ordinarius, nomine quoque Canonicorum Regularium Sancti Augustini Congregationis Helveticae a Sancto Mauritio universique populi, enixas Nobis deprompsit preces, ut Ecclesiam Abbatialem Sancti Mauritii de Agauno dignitate et privilegiis Basilicae Minoris decorare dignaremur. Nos porro huiusmodi preces excipiendas perlibenter censuimus, ut tanto historiae, artis pietatisque monumento publicum tribueremus propensae voluntatis Nostrae specimen, quod etiam ad Christifidelium Fidem fovendam augendamque valeat. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Abbatialem nullius dioeceseos, Deo in honorem Sancti Mauritii dicatam atque intra Helvetiorum fines positam, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus honoribus ac privilegiis quae eidem titulo rite conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Novembris, anno MCMXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. Bapt. Montini
Subst. Secr. St.

IV

ECCLESIA PAROECIALIS S. MARIAE VIRGINIS, IN CIVITATE « IGUALADA » INTRA FINES VICENSIS DIOECESIS, BASILICAE MINORIS TITULO ET PRIVILEGIIS COHONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Catholici Orbis praestantiora templa quae, vel molis amplitudine et insignibus artis monumentis, vel Sanctorum exuviis et antiqua fidelium religione praefulgeant, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis haerentes, singularibus titulis ac privilegiis cohonestare solemus. Inter quae, ut Nobis relatum est, iure meritoque potest accenseri etiam sacra paroecialis aedes Deo in honorem Sanctae Mariae Virginis, in civitate vulgo dicta « Igualada », intra fines dioeceseos Vicensis, in Hispania, anno millesimo quinquagesimo nono erecta et sequentibus annis iterum aedificata et in ampliorem formam redacta ita ut intra eius ambitum ingens multitudo hodie commode contineri possit. Stylo graeco romano, uti aiunt, architectatum, memoratum templum soliditate laudatur et pulchritudine eminet ita ut ceteris omnibus sive civitatis, quam diximus, sive eius vicariatus sacris aedificiis praecellat et inter pulchriora templa totius dioecesis Vicensis recenseatur. In eo qua par est solemnitate et maximo quo debetur decore sacri ritus celebrari solent a Clero numero et qualitate idoneo; nec deest sacrae supellectilis et Sanctorum reliquiarum copia. His omnibus rationibus fretus, dilectus filius Amideus Amenès, Parochus et Vicarius Foraneus praedictae Ecclesiae, vota quoque expromens tum Cleri universi tum optimatum omnium ipsius civitatis, humiles Nobis adhibuit preces, Ven. Fr. Ioannis Perelló Pou, hodierni Episcopi Vicensis, commendatione firmatas, ut paroeciale templum quod saepius diximus, titulo ac privilegiis Basilicae Minoris de Nostra benignitate decorare dignaremur. Quas preces a Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, S. Rituum Congregationis Praefecto Nobis relatas, peramanter excipere decrevimus ut Sanctissimae Dei Genitricis gloriam in terris quodammodo augeamus, ut supplicantium Antistitis, Parochi et fidelium vota compleamus. Quare, certa scientia et matura deliberatione Nostris, atque Apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Paroecialem Deo in honorem Sanctae Mariae Virginis, in urbe « Igualada » intra fines dioecesis Vicensis, dicatam, honoribus ac privilegiis *Basilicae Minoris* decoramus atque af-

ficimus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, ac statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII m. Ianuarii, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status
Io. Bapt. Montini
Subst. Secr. St.

EPISTULAE

I

AD EXCMUM P. D. IOANNEM PERELLÓ POU, EPISCOPUM VICENSEM: PRIMO EXPLETO SAECULO AB OBITU APOLOGETAE IACOBI BALMES.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Ab ipsis Ecclesiae primordiis catholica doctrina infensissimos nacta est adversarios, qui christianorum dogmata et instituta irridentes ea ausi sunt fortiter oppugnare ac periclitari. Iamvero cum his errorum et nequitiae magistris nullo non tempore decertarunt sapientes viri, quos apologetas nominamus, qui, fide praeeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, ut divinae revelationis thesaurum fideliter tuerentur. Conspicuum inter illos sibi locum vindicat aetate recentiore in Hispania illustris quidam vir civitatis istius Vicensis, Iacobus Balmes presbyter qui, solida pietate ceterisque sacerdotis nitens virtutibus, Ecclesiae auctoritatis Christique Vicarii observantissimus atque strenuus contra infestos oppugnatores vindex, praeclarae vitae suae apostolatum ad homines eruditione excultos, sed religionis verae expertes, ut Christo eos lucrifaceret, totum convertens, tam viva voce, quam praeclaris editis scriptis, perspicua veritatis penitus perpensae expositione, sine asperitate aut remissione, suavi caritate perfusus, Ecclesiae doctrinas, praecepta ac iura copiose intrepideque propugnavit. Peropportune igitur,

centesimo ab insignis viri interitu anno nuper expleto, susceptum est consilium in civitate ista doctos ex omni natione viros congregandi, ut de apologetica arte nostris temporibus accommodata, conlatis multorum iudiciis, apte congruenterque disputetur. Haud parvi quidem momenti sunt doctrinae capita, quae in congressione, exeunte hoc mense habenda, proponentur: inter cetera agendum erit de humani generis unitate deque humanae personae, cuiusque generis ac stirpis, dignitate; de Ecclesiae iuribus et cum singulis nationibus habitudine; de quaestionibus ad iustitiam socialem pertinentibus iuxta Ecclesiae praescripta et documenta illustrandis ac solvendis; de fraterna gentium omnium coniunctione et frugifera concordia; quae omnia selecta argumenta non modo ad Ecclesiae integritatem atque unitatem, verum etiam ad universae civilis societatis prosperitatem maxime conferre videntur. Iisdem autem coetibus, ut libenter novimus, praesentia ipsa ac doctrina Dilecti Filii Nostri Cardinalis Friderici Tedeschini haud parum honoris adiiciet atque gravitatis. Quapropter inita consilia ad Conventum Balmesianum spectantia Nos in primis merita laude honestamus et Nostra auctoritate secundisque votis ominibusque plane commendamus. Hodie profecto, quum subsidia atque instrumenta ad opiniones quascumque, seu probas sive pravas, evulgandas facta sint tam maxime expedita, tam citissima, in bonum aut perniciem populorum, filii lucis prudentiores esse debent huius saeculi filiis, praescripta catholicae sapientiae summa cura atque sollertia in optimo lumine collocando. In causa enim christianorum, semper veritas, ut Tertulliani illius tempore, « scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire, ceterum genus, sedem, gratiam, dignitatem in caelis habere. Unum gestit interdum, ne ignorata damnetur » (*Apolog.* 1). Supernorum itaque luminum conciliatrix et nuntia praecipuaeque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, clero et populo tuae curae demandato iisque omnibus, qui proximis coetibus intererunt, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Maii, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

II

AD REVM̃UM P. HERBERTUM KRAMER, SODALITATIS MISSIONALIUM A PRETIOSISSIMO SANGUINE MODERATOREM GENERALEM : SAECULO EXEUNTE AB EXSTENSIONE CELEBRATIONIS FESTI PRETIOSISSIMI IESU CHRISTI SANGUINIS AD UNIVERSAM ECCLESIAM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Cum proxime exeat saeculum, ex quo Decessor Noster imm. mem. Pius IX per decretum Sacri Consilii ritibus tuendis festum pretiosissimi Iesu Christi sanguinis in universa Ecclesia celebrari mandavit, vos, quibus eiusmodi cultus peculiari modo cordi est, rem percupitis digne commemorare, quemadmodum ex datis abs te litteris didicimus. Quod propositum vestrum valde Nos dilaudamus; ac fore confidimus ut saecularis haec commemoratio ad hoc spectet potissimum, ut homines nimio saepius beneficiorum immemores, quibus Servator Noster, suam vitam suumque sanguinem profundens, nos cumulavit, infinitam eius caritatem redamanti animo meditentur, ad eamque in se referendam permoveantur. Mente recogitent omnes divinum hoc redemptionis nostrae pretium idcirco Aeterno Patri fuisse oblatum, ut nos a daemonis captivitate liberaremur et in adoptionem restitueremur filiorum Dei; quamobrem sua quisque admissa detestatus, iniurias Redemptori nostro illatas pro viribus resarcire contendat, eumque incensissimo suo amore prosequatur, quem redintegrata christianis moribus vita testetur. Quandoquidem autem Christus suo effuso cruore humanum consecravit dolorem, ab Eo omnes discant quas aerumnas, quas miserias patiantur, eas aequo animo et ad Caelum erecto tolerare, divinae illius sententiae memores : « ... qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus » (Matth. X, 38). Et sicut Servator Noster per acerrimos cruciatus suos nostros voluit mulcere ac lenire maerores, ita pariter exemplo eius addiscant omnes ceterorum angustias doloresque relevare, iisdemque pro facultate solacia ac remedia praebere. Haec quodammodo docet pretiosissimus Iesu Christi sanguis, quem Ipse non modo e suis vulneribus effudit, sed cotidie etiam in Eucharistico Sacrificio placationis hostiam pro nobis omnibus offert. Vos igitur potissimum, quorum Institutum ex eiusmodi cultu nomen ipsum repetit, haec intento amantique animo meditemini; ceterisque, quotiescumque opportunitas vobis datur, meditanda propo-

nite; tum enim profecto eveniet ut proxima saecularis commemoratio fructus afferat saluberrimos. Quorum quidem sit auspex, paternaeque benevolentiae Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam tibi, dilecte fili, cunctisque religiosae familiae tuae sodalibus perlibenter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die X mensis Maii, anno MCMXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

III

AD REVMUM P. GULIELMUM MUNSTER, LONDINIENSIS SODALITATIS A PHILIPPIANO ORATORIO PRAEPOSITUM: PRIMO SAECULO EXEUNTE AB EODEM ORATORIO CONDITO.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quum proxime Londiniensis Sodalitas a Philippiano Oratorio fauste expletum primum celebratura sit saeculum, ex quo condita est, amantius quam suevimus animo Nostro reputamus singularem ortum insignesque fastos istius Instituti, quod, uti et cetera eiusdem generis istic excitata effecit, ut, demirantibus cunctis, vetus Ecclesiae in Anglia stipes, qui aliquibus paene videbatur effetus, vigentibus et florentibus coronaretur virgultis. Paternae caritatis igitur gaudium potius quam officium ducimus quod, hasce ad te scribendo Litteras, tuae et sodalium tuorum festae intersumus celebritati et vobiscum Deo gratias agimus, quod ausis et inceptis in Suam laudem inque Ecclesiae decus et emolumentum inchoatis adspectabiliter pollentia incrementa attribuerit. Decet autem nunc pia memoria honostare et grato obsequio recolere Fridericum Gulielmum Faber, qui isti Oratorio surgenti praefuit, virum singularis fidei ardore et pulchritudinis studio praeditum, cuius ore profluebat sapientiae imber et cuius sermo vivida fuit facula, religiosae rei cultorem eximium, librorum et carminum conditorem disertum. Quamdiu fuerit virtuti et litteris honor, imperitura stabunt tum eius tum Henrici Newman S. R. E. Cardinalis praeclara nomina, quae haud minus Angliae quam Ecclesiae numquam casuram conciliant benevolentiam et gratiam. Quod magnopere gratulati, id nunc optamus cupimusque, ut Coenobium istud, magnis utilitatibus et continenti experientia probatum, magis magisque praestantia et numero sodalium increbescat,

fidelis custos illius in cogitando et operando afflatus, qui a Sancto Philippo Nerio quodammodo oritur, quique vos vestraque animat et alit, atque veritatem, caritatem laetitiamque sanctam fecundo foedere nectit. Veritas vos faciat liberos, caritas servos, utraque laetos. In restaurando autem religiosae unitatis aedificio, a quo iniqua tempora tam multos Anglos dimoverunt, erga deerrantes fratres, salva fidei tutela, eodem admoti flamine et proposito potius diversos quam adversos illis vos praestate, conversuris se aliquando vobiscum in unum: illis coniungimini nunc, quantum fieri possit, caritate, eisdem parati olim dare plenitudinem veritatis. Quod ut e votis contingat, Deo fundimus preces, ut uberioris supernae misericordiae dona vobis concedat. Ut autem statae celebritatis dies salutarior evadat, sollemni ritu sacrum peracturo potestatem damus, ut fidelibus Apostolicam Benedictionem cum indulgentia plenaria, sueta lege lucranda impertire valeat. Reliquum nihil Nobis restat nisi ut tibi atque universis qui in istud Philippianum Oratorium sunt cooptati quibusque cum laude prees, necnon iis omnibus, in quorum spiritale commodum elaboratis, simulque operibus et propositis vestris amantissime in Domino benedicamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis Maii, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

Summus Pontifex illustrat notas praecipuas sanctitatis Mariae Iosephae Rossello, adstantibus christifidelibus, qui Romam convenerant ad eius canonizationem celebrandam. *

Sarebbe difficile, dilette figlie, nel ritrarre la figura morale della vostra Santa Madre, il voler mettere in piena luce il suo aspetto caratteristico, senza correre il rischio di lasciare nell'ombra gli altri lineamenti della sua fisonomia. Senza dubbio la prima qualità che si presenta alla mente, quando si parla di lei, è quella che la Santa stessa scelse fra gli attributi della Beatissima Vergine e Madre di Dio, prendendo e dandovi il bel nome di Figlie di Nostra Signora della Misericordia. Nulla di più giusto, perchè la misericordia ispirò e informò tutta

* Die 14 Iunii mensis a. 1949.

la sua attività. Ma, se non se ne considerassero che le manifestazioni esteriori, si correrebbe pericolo, dinanzi alla loro varietà e al loro splendore, di non penetrare sino all'intimo focolare da cui s'irradiavano.

Questo focolare è la carità: carità, virtù teologale, amore unico nel suo duplice termine, Iddio e il prossimo; carità, che tutto abbraccia nella sua ampiezza senza limiti; carità generosa, che le faceva consumare tutti i mezzi, di cui la Provvidenza l'aveva liberalmente dotata. Nulla in verità le mancava: nè i doni della natura, nè quelli della grazia, gli uni e gli altri illuminati dall'esperienza personale e dalla sofferenza, fecondati dalla preghiera e dalla unione costante con Dio, coi Santi, con la Regina dei Santi, Madre della misericordia.

Amare Dio nella sua adorabile maestà e nella sua paterna bontà, amare il riflesso di Lui pur nella miseria delle sue creature: ecco ciò che dà alla carità l'impronta particolare della misericordia. Vedere Iddio, loro Autore, Creatore e Padre, dalle creature stesse misconosciuto e ingiuriato; vedere in loro l'immagine di Dio contaminata, profanata, sfigurata dal vizio e dal peccato; vedere i figli di Dio sofferenti, abbandonati, macchiati dal contagio del male; vedere la Chiesa, corpo mistico di Cristo, ignorata, disprezzata, odiata; tutto ciò straziava il cuore di Maria Giuseppa Rossello e la spingeva irresistibilmente a portarvi a tutti i costi rimedio, perchè il sentimento della misericordia non sarebbe che vana lusinga e sterile illusione, se non si esplicasse e tramutasse negli atti, vale a dire nel dono di sè, tanto con la preghiera e la penitenza, quanto col lavoro e con le opere. Ora nella vostra Madre noi troviamo in grado eminente questa intima unione della contemplazione e dell'azione. Come ha potuto una donna attuare così perfettamente in sè stessa l'ideale di Marta e di Maria, senza che mai l'una facesse torto all'altra? anzi, vivificando e fortificando l'una con l'altra? Ella dovette essere per ciò mirabilmente dotata di eccelse qualità ed eroicamente santa!

Quel che apparisce in lei innanzi tutto è l'attività esteriore. Essa attira lo sguardo dell'incredulo e dell'indifferente non meno che del cristiano; ma attraverso tale attività si può scoprire o indovinare il focolare nascosto nel segreto del cuore. Le opere della nostra Santa, crescendo in numero e in varietà, prendevano una prodigiosa estensione; la sua famiglia religiosa, senza detrimento della sua saldezza, aumentava con straordinaria rapidità. Si resterebbe quasi sconcertati alla vista di lavori e di istituzioni apparentemente così diversi, e nondimeno così armonizzati nella magnifica unità della carità totale.

Quali cose, infatti, più disparate fra loro che gli asili per l'infanzia abbandonata, l'educazione delle fanciulle di tutte le classi sociali, la casa dei chierici, gli ospedali, i ricoveri delle pentite e delle pericolanti, la cura degli arredi sacri e della biancheria per le chiese, le fondazioni di America, l'opera del riscatto delle morette dalla schiavitù?

Si aggiunga la premura incessante che ella apporta alla formazione delle sue religiose, come e anche più che allo stabilimento e all'assetto materiale, economico, amministrativo, morale, delle case che si moltiplicano e s'ingrandiscono con maravigliosa celerità. Ella si trasferisce continuamente da un luogo all'altro, e nondimeno dà l'impressione di essere al tempo stesso dappertutto. Ella provvede a ogni cosa e dirige con la medesima competenza e maestria i lavori degli architetti e dei muratori, come quelli delle infermiere e delle insegnanti.

Impedita dalla malattia di recarsi in Argentina, ove il suo Istituto s'impianta e si diffonde felicemente, ella sta in costante corrispondenza con le sue figlie lontane, seguendo attentamente i loro progressi nella perfezione religiosa e nello spirito proprio della loro vocazione, e dando insieme opportuni ammaestramenti per il governo delle case e il maneggio degli affari temporali.

Ella si sa adattare a tutte le circostanze, a tutte le condizioni, a tutte le esigenze, senza lasciarsi turbare da alcuna occorrenza, nè quando s'impose alle maestre l'obbligo di subire l'esame per il conseguimento del diploma, nè quando esse dovettero sottomettersi ad insegnare la ginnastica. Ella prende i provvedimenti più saggi e più pratici per renderle atte ad adempire tutti i programmi, senza pregiudizio della loro vita spirituale e della loro professione religiosa.

Nè si pensi che ella compia questo immenso lavoro, non vorremmo dire superficialmente, ma quasi dall'alto e in una maniera generale, tracciando le linee fondamentali, indicando i grandi principî, e lasciando poi ad altri la cura di determinare i particolari e di risolvere le difficoltà della esecuzione. Tutt'altro! nella fondazione e nell'avviamento di nuove case ed opere — ogni anno ne vedeva sorgere parecchie — ella accompagna o anche precede le sue figlie, e lavora con loro, finchè tutto sia stato messo in cammino normale. Molte altre, così facendo, avrebbero rischiato di essere o di sembrare ingombranti, d'impacciare l'operosità altrui. Ella no; come l'anima non ingombra il corpo, nè impedisce i suoi movimenti. Ella guida, ma, guidando, forma. Ella ha in modo particolare il dono di discernere e di preparare saggiamente le future superiore; di una giovane suora, giudicata da altri inetta, ella fa in poco tempo una superiora di gran valore.

Tutto ciò è quel che si vede al di fuori, ma è chiaro che, per attuarlo, si richiede, anche nell'ordine puramente naturale, una dose non comune di qualità e di doti mirabilmente equilibrate. La vostra Fondatrice le possedeva. Le facoltà sono in lei egregiamente sviluppate e armoniosamente coordinate: l'intelligenza, la volontà, la sensibilità, in tutta la loro attività, dispongono e combinano la loro cooperazione secondo le più giuste e felici proporzioni. Ne consegue che nella pratica quotidiana quelle virtù, le quali vengono sotto il titolo delle quattro virtù cardinali di prudenza, giustizia, temperanza e fortezza, si manifestano nelle maniere più varie, senza che l'una attenui o veli l'altra. Cosicchè, nella loro azione e nel loro concorso, le facoltà e le virtù, da lei intensamente coltivate, si trovano sempre unite in una tale perfezione che non si potrebbe determinare la parte di ognuna separatamente dalle altre.

A prima vista ella scopre un bisogno e concepisce l'opera per provvedervi; ella coglie il valore di una proposta e la sua portata; considera i mezzi per risolvere i problemi e le difficoltà che si presentano; discerne le persone, di qualsiasi grado e condizione, a cui conviene rivolgersi, e la parte che si addice a ciascuna. Ella non si arresta a belle concezioni e a magnifici progetti; è non meno realista che idealista. Appena ha preso la sua determinazione, si mette strenuamente all'opera, dando col suo esempio la spinta agli altri. Quando dà ordini alle sue figlie, quando prega o informa i suoi superiori ecclesiastici, quando fa premura ai benefattori, quando pone le sue condizioni o fa valere i suoi diritti di fronte alle autorità civili, sempre si comporta con una forza ed una dolcezza, con un tatto e una delicatezza, che trionfano di tutte le resistenze e di tutte le esitazioni, che ottengono tutti gli aiuti, che vincono o schivano tutti gli ostacoli. Ella non si lascia mai abbattere o sgomentare dalle difficoltà, nè turbare da un primo tentativo fallito, nè sconcertare da una prima ripulsa. Quanto a lei, ella non nega nulla ad alcuno e se in rari casi le accade di vedersi costretta a non accogliere qualche richiesta, ben presto si riprende, dando più di quanto le era stato domandato.

Ma tutti i doni e le virtù naturali, di cui era riccamente dotata, non bastano nemmeno lontanamente a spiegare la pienezza dell'opera sua, il suo ardore e al tempo stesso la sua calma e imperturbabile serenità. La natura è qui largamente oltrepassata; nella vita soprannaturale di lei bisogna cercare e leggere il segreto della sua grandezza.

Ella non aveva che un solo desiderio: quello di farsi santa, di es-

sere utile ai poveri e d'impedire i peccati che fanno tanto male al mondo. In tutte le sue parole e in tutte le sue azioni si proponeva come unico fine la gloria di Dio e il bene delle anime.

Nonostante la sua attività esteriore, ella era sempre in preghiera; anzi sarebbe più esatto il dire che precisamente da questa preghiera continua scaturiva, come da purissima fonte, la sua attività esteriore. In tutte le cose ella procedeva con prudenza e fortezza, ma non su queste ella principalmente contava; che anzi, forzando un poco l'espressione — salvo a rimetterla a posto nella sua condotta —, ella diceva che « la prudenza umana non serve: lasciatela agli uomini! » In realtà, sebbene ne facesse gran caso ed uso abituale per suo proprio conto, ella non metteva la sua fiducia nei mezzi puramente umani e non se ne serviva che come istrumenti di Dio.

Ella consultava persone assennate e competenti, pregava e faceva pregare; poi andava innanzi. Nelle risoluzioni da prendere, come nelle difficoltà della loro attuazione, ella si rivolgeva alla paterna provvidenza di Dio, alla Santissima Vergine Madre della Misericordia, a S. Giuseppe, di cui aveva fatto, fin dalla sua adolescenza, il suo protettore, il suo gerente e il suo appoggio in ogni circostanza. Forte del sostegno di così grandi amici, ella avanzava senza debolezza, senza esitazione, senza timore, e giammai la sua fiducia non rimase delusa, se non quanto era necessario per sperimentare la sua solidità e la sua costanza. Anche allora ella si dimostrò sempre pari alla gravità delle prove, che non le mancarono in tutto il corso del suo terrestre cammino.

Se la povertà, fin dall'infanzia, non le aveva fatto sentire che l'austerità della vita; se lo stesso servire in casa d'altri sarebbe stato per lei un peso ben lieve; il vedersi però chiudere, a causa della mancanza della più esigua dote, le porte dell'Istituto religioso, alle quali aveva bussato per seguire la vocazione dell'animo suo, fu la prova che ella ebbe a soffrire nell'apparente contraddizione di Dio, che al tempo stesso la chiamava e l'allontanava. Ma no; Iddio non l'allontana. Egli continua ad attrarla e a condurla al suo scopo, ma per altre vie. L'affezione della signora, che si è a lei tenacemente attaccata quasi come a figlia, cerca di trattenerla con la bontà, con le promesse, coi rimproveri; ella vi si sottrae, ma, sottraendosi, attira sul suo cuore delicato l'accusa d'ingratitudine.

Quali sofferenze, quali fatiche, quali contrasti la premono da ogni parte, nella fondazione della sua Congregazione religiosa, nella dolorosa nascita di quasi ognuna delle sue opere e delle sue case! Appena ella ha il tempo di rallegrarsi e di ringraziare il suo caro S. Giuseppe per

il loro prospero inizio e per la fermezza dei primi passi, ecco che già nuovi pericoli, nuove opposizioni ne minacciano la vita; le sue intenzioni più sante nel servizio della Chiesa e delle anime destano sospetti. Nella comunità di Savona la malattia una volta colpisce le sue figlie amatissime e, come se la croce non fosse già abbastanza pesante per la loro Madre, il malanimo degli avversari o l'accecamento degli amici e dei benefattori ne fanno ricadere la responsabilità sulle sue spalle.

La sua anima è in agonia, il suo cuore è straziato; i dolori fisici aumentano, le penose crisi cardiache si fanno sempre più gravi e frequenti. Il suo solo spirito resta alacre e invitto. Questa donna che « non poteva mai star ferma », incapace ora di muoversi, continua pur sempre, nella preghiera e nella sofferenza, ad agire, a lavorare, a governare. L'amore, che supera le sue forze, sostiene il suo coraggio; ella resiste sino alla fine e soccombe, vittoriosa, sulla breccia.

Quale Madre è la vostra! quale santa! Dinanzi a lei, che potremmo Noi dirvi ancora? che potremmo raccomandarvi, per concludere, se non: guardatela, pregatela, imitatela? Fedeli ai suoi esempi e ai suoi ammaestramenti, voi attirerete, dilette figlie, su di voi, sulle vostre opere così numerose e varie, su tutte le anime affidate alle vostre cure, le più abbondanti grazie del cielo, in pegno delle quali v'impartiamo con tutta l'effusione del Nostro cuore l'Apostolica Benedizione.

II

Ad Excñum Virum Troncoso Sánchez Petrum, Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis Dominicianae Reipublicae, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem. *

Señor Embajador:

El cambio en la dirección de la Embajada Dominicana ante Nós, que por disposición del Excelentísimo Señor Presidente de la República pasa de su ilustre predecesor a las expertas manos de Vuestra Excelencia, Nos ofrece la grata ocasión de recordar una vez más los estrechos vínculos que, desde los días del descubrimiento, unen a los hijos e hijas de su hermoso país con el centro de la Iglesia católica.

Historia, varias veces centenaria, de cristianismo y de fidelidad, que parecen proclamar los viejos muros de vuestra insigne catedral, comenzada ya en los principios del siglo XVI, de los que penden lienzos ve-

* Habita die 20 Iunii mensis a. 1949.

tustos donde, entre Murillos y Velázquez, campean gravemente los auténticos retratos de aquellos Reyes Católicos, que se propusieron, como motivo fundamental de sus empresas, la propagación de la fe y la dilatación del Reino de Cristo en la tierra; historia nunca interrumpida, que incluso podría servir para mostrar la eficacia social y educativa de una doctrina que fué capaz de transformar la legendaria Quisqueya en la Atenas del Mundo Nuevo.

Las felices expresiones con que Vuestra Excelencia ha reconocido y reafirmado esta unión tradicional, no sólo en nombre propio sino también en el de su Gobierno y pueblo, han suscitado en Nuestro corazón tanto reconocimiento y satisfacción como legítimo gozo. Son sentimientos que, si posible fuera, reforzarían todavía más Nuestra disposición, siempre atenta y vigilante, en favor de cuanto pueda servir para promover y cultivar las relaciones entre esta Sede Apostólica y su nación, en todos los campos de la vida religiosa, cultural y social; de cuanto pudiera favorecer el verdadero progreso y la sincera prosperidad de un país tan ricamente dotado como el suyo, de esa isla privilegiada donde parece que la mano de Dios quiso volcar sus encantos y sus dones, a lo largo de sus dilatadas y accesibles playas, en sus montañas coronadas de nubes sobre las que reina en silencio el majestuoso Yaque, en sus incontables y frescas venas que, alegrándolo y fecundándolo todo, parecen haberse dado especialmente cita en vuestra maravillosa Vega Real, sumario de posperidad, de gracia y de frescura.

En los graves peligros, que hoy día proyectan su sombra siniestra sobre la humanidad, Vuestra Excelencia, cuya mirada ciertamente habrá adquirido agudeza especial en sus largas incursiones por los campos de la filosofía, puede atisbar una enérgica y urgente invitación a estrechar, cada vez con más fuerza, los útiles contactos con el centro de la fe y del supremo magisterio de la vida cristiana, a fin de que la sociedad humana, debilitada por su superficialidad y por sus errores, logre aprovecharse, lo más que pueda, de la verdad y de las enseñanzas contenidas en el Evangelio de Nuestro Señor Jesucristo.

Una gran parte de la humanidad, que todavía no ha sido iluminada por la verdad cristiana, y por desgracia también algunos sectores de la Cristiandad manifiestan, en el terreno religioso y moral, claros síntomas de una anemia perniciosa, en parte incipiente y en parte no poco avanzada.

No se ve la posibilidad de poner remedio a este mal sin una espiritual transfusión de sangre de proporciones más que ordinarias. Pero ¿quién ha de ser el salvador, quién el espiritual donador de sangre en

favor de esta humanidad enferma?; y ¿quién podría serlo sino Aquél, del cual el gran pensador y Doctor Sto. Tomás de Aquino, hace cantar en estos mismos días a su Iglesia orante que una sola gota de su sangre puede salvar a todo el mundo de cualquier mal?

El universo católico tiene puestos ahora los ojos en el inminente Año Santo. Desde todos los continentes, desde las remotas islas del Atlántico y del Pacífico nos llega el eco jubiloso que en el mundo entero ha suscitado la Bula de indicción, publicada el día de la Ascensión del Señor.

Nós esperamos que también Nuestros devotos hijos de las lejanas Antillas — eclesiásticos y seglares, gentes de toda condición, de toda edad, de toda estirpe y de toda clase social — en tan memorable ocasión se pondrán, con profunda convicción, con ardiente resolución y energía, al servicio de aquellos altos ideales de los que Nós, en este año del gran retorno y del gran perdón, esperamos tan rica mies de gracias y de paz.

En tan consoladora confianza presentamos a Vuestra Excelencia, Señor Embajador, la más cordial bienvenida, mientras que le rogamos que transmita al Excelentísimo Señor Presidente de la República y a los miembros del Gobierno Nuestros mejores deseos y de todo corazón damos a todos los amados hijos de su tierra feliz, y de manera especial a Vuestra Excelencia, en este fausto comienzo de su alto oficio, Nuestra Bendición Apostólica.

III

*Ad Excmum Virum Dhirajlal Bhulabhai Desai, Indiarum Legatum extra ordinem liberis cum mandatis, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem.**

Mr. Minister:

With heartfelt satisfaction We accept the greetings which Your Excellency as first Envoy Extraordinary and Minister Plenipotentiary of the new State of India, extends to Us in the name of your Government and of your noble people.

This hour takes on the solemn and impressive features of a really historic event.

New dispensations and developments, which perhaps have long been coming to birth, the second World War rather hastening than causing their appearance, now encompass vast areas of the earth. The distant

* Habita die 6 Iulii mensis a. 1949.

East, above all, has emerged politically, socially and spiritually to a position of first rank, where it is confronted, of course, with duties and responsibilities of a formidable sort, but faces also precious opportunities to further the prosperity and peace of humankind.

In this movement towards new alignments, now in its initial stages, your country along with others is called upon to play an important role, as no alert observer can fail to note.

The new India, which has sent Us in the person of Your Excellency a representative so able and accomplished, is endowed with immense potentialities in view of the transformations looming on the horizon of the near and distant future. Her population and natural resources, her actual and latent productive capacity, along with an imposing spiritual heritage, are assets destined surely to fulfill a special function in contact with the other cultures.

An essential element in your spiritual heritage is the earnestness and respect of the religious sentiment, the profound awareness, in the soul of the Indian people, of their dependence on the divine.

He to whom Your Excellency proudly refers as « Father of his Nation » has bequeathed to its people a legacy of great price: a staunch faith in the rightful ascendancy of the spiritual over the material.

Your Excellency has recalled, in warm and grateful words, the spirit of labour and sacrifice which for centuries has marked the achievement, on Indian soil, of many of Our spiritual sons and daughters.

No one who recognizes, as they do, in the teachings of the Sermon on the Mount an inviolable law of life, and in Him Who proclaimed it the Divine Master and Model sublime, will allow his ideal of generous and unselfish service to be affected by the successive changes in form and content which the political events of recent years have brought in their wake. As always: to-day and to-morrow, even as yesterday—following the example of Christ and obedient to the teaching of His Vicar who embraces all peoples with equal affection—these children of Ours will harbour no higher aim and boast than to be of service, and by their service to clear the path to real prosperity, peace and happiness for the noble people to which they belong or among whom they labour.

It is a sorry characteristic of our times that there prevails in not a few places a concept of life and society that is vitiated by an excess of materialism or perverted by an outright denial of spiritual values.

From the painful effects of such deviation and degeneracy the peoples themselves are the first to suffer. This is the way they lose not only their liberty but also their dignity.

